

S. 6. 264

Reigen. fol.

J. VI, 887.

~~III No J. IV. 10~~

DISSERTATIO THEOLOGICA
TERTIA
DE
**PERSEVERANTIA
CREDENTIVM
VSQVE AD FINEM.**

QVAM
PRAESIDE
VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO
AC DOCTISSIMO
IOANNE GEORGIO KNAPP
THEOL. D. ET PROF. ORDIN. CELEBERRIMO ORD. THEOL.
H. T. DECANO SPECTATISSIMO

FAVTORE AC PRAECEPTORE
SVMMA PIETATE AETERNVM PROSEQVENDO
D. APRIL. CIOIOCCCLIII.
IN REGIA FRIDERICIANA
H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET
CAROLVS WILHELMVS SIEVERT
AVGGA - BADENSIS.

~~~~~  
HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



DRUCKT BEI DER BUCHHANDLUNG  
VON

PERSEUS LIT. ANST. & CO.  
GRIECHENSTR. 11  
10117 BERLIN

VERLAG  
VON  
DR. STIMM UND WITTMANN  
AM MUSEUMSPLATZ

JOHANN GEORG KNAFF

VERLAG  
VON  
DR. STIMM UND WITTMANN  
AM MUSEUMSPLATZ

VERLAG  
VON  
DR. STIMM UND WITTMANN  
AM MUSEUMSPLATZ

VERLAG  
VON  
DR. STIMM UND WITTMANN  
AM MUSEUMSPLATZ

VERLAG  
VON  
DR. STIMM UND WITTMANN  
AM MUSEUMSPLATZ

VERLAG  
VON  
DR. STIMM UND WITTMANN  
AM MUSEUMSPLATZ





NEC NON  
**VIRO**  
*SVMME REVERENDO, AMPLISSIMO*  
*DOCTISSIMO*  
DOMINO  
**IOANNI GEORGIO**  
**SIEVERT**  
ECCLESIAE AVGGENSIS PASTORI  
VIGILANTISSIMO



VIRO  
*ILLVSTRI, CONSVLTISSIMO, AMPLISSIMO*  
*DOCTISSIMO*  
DOMINO  
IOSEPHO SÜSS  
SERENISSIMI PRINCIPIS MARCHIONIS BADENSIS  
ET HACHBERGENSIS A CONSILIIS AVLICIS,  
LANDGRAVIATVS SAVSENBERGENSIS ET DYNA-  
STIAE ROETTELENSIS SVMMO  
PRAEFECTO.



PATRONIS, COGNATIS ET PARENTI

SVMMO PIETATIS CVLTV AETERNVM  
COLENDIS

HANC SCRIPTIIONEM PVBLICE  
DISCEPTANDAM

IN DOCUMENTVM

ANIMI, PRO TOT TANTISQVE BENEFICIIS AB INEVNTE  
AETATE LIBERALISSIME COLLATIS, GRATISSIMI  
AC MONVMENTVM  
PIETATIS, VENERATIONIS, AMORIS  
AC GRATIARVM IMMORTALIVM  
CVM SVBMISSISSIMA ATQVE ARDENTISSIMA  
SVI SVORVMQVE STVDIORVM COMMENDATIONE  
SACRAM ESSE VOLVIT

DEFENSOR.



**VIRO**  
*ILLVSTRI, CONSVLTISSIMO, AMPLISSIMO*  
*DOCTISSIMO*  
**DOMINO**  
**IOANNI MICHAELI**  
**SALZER**

SERENISSIMI PRINCIPIS MARCHIONIS BADENSIS  
ET HACHBERGENSIS A CONSILII SECRETIO-  
RIBVS, DYNASTIAE BADAUILLENSIS  
SVMMO PRAEFECTO.





§. I.



Atam ineunte disputatione secunda de adiumentis perseverantiae usque ad finem, fidem ut par est liberaturi, progredimur iam hac disputatione tertia ad quartam atque ultimam uniuersae de argumento hoc orationis nostrae partem, exposituram scilicet, an aut quatenus credentes perseverantiam suam usque ad finem exploratam habere possint. In hoc argumento satis arduo ita versabimur, quo omnia dilucide & distincte explicentur, ut primo generatim probemus, dari omnino certam aliquam perseverantiae persuasivonem. Deinde docebimus, qualis illa non existimanda, vel saltem non perspicue aut in uniuersum promissa, ac proinde temere quoque expetenda non sit. Denique ostendemus, quae & qualis omnino sit, & secundum verbum Dei esse debeat, ac quam utilis illa sit, statuique fidelium in hac vita aptissime conueniens.

§. II.

Primo igitur generatim probandum est, dari omnino aliquam



aliquam perseverantiae persuasionem. Apparet vero illud primo ex eo, quod generatim pro certo habere possumus ac debemus, Deum pro constanti sua erga credentes fide nihil passurum in cursu fidei desiderari, quod ad bonum animum faciendum fiduciamque boni tandem exitus suis adferendam facit, imo plane ad eam rem necessarium est. Iam vero bonus animus laetaque futurorum spes sibi constare non possunt, nisi certam aliquam firmisque fundamentis constitutam perseverantiae fidem habere possent. Angi enim animum & excruciaci oportet, si, quidem in praesenti bonum aliquod, magnum in primis atque ad caput salutis pertinens teneas, sed aut exploratum habeas, te certo amissurum, aut saltem magis timeas, ne perseveret, quam credas & speres, perseveraturum esse ac retineri posse. Cum vero verbum Dei credentes ad bonam spem ac fiduciam etiam in futurum erigat, ex eo ipso consequitur, illos idoneas causas habere oportere, id pro certo habendi ac tenendi, posse se omnino perseverare.

## §. III.

*Deinde* aliquam quoque perseverantiae persuasionem vsque ad finem dari, ex eo quoque recte conficitur, quoniam Deus desperatione boni exitus, animum fiduciamque abiicientibus, indeque contentionem & cursum remittentibus tantopere succenset; ex quo, cum contrariorum contraria sit ratio, recte conficitur, boni exitus spem & persuasionem ipsi non solum probari, sed etiam credentibus inesse posse ac debere, suppeditatis quippe a DEO omnibus ad eam rem necessariis. Quantopere vero illa, de qua dicimus, animi abiectione DEO displiceat, contra vero fiducia placeat, gravissime Paulus nos docet hunc in modum ad Ebraeos scribens:

77e



ne abiciatis igitur fiduciam vestram, quae magnam mercedem habet. Patientia vero vobis opus est, vt voluntatem Dei custodientes nanciscamini promissum, nam exiguo adhuc tempore veniens iste aderit & non morabitur. Iustus vero ex fide viuet; & si subduxerit se (quis) non delectatur eo anima mea. Nos vero non sumus subtractionis in perniciem, sed fidei in conseruationem animae. Propositum ideo fidelibus exemplum est Iudaeorum in solitudine degentium, qui propter desperationem, abiectamque fiduciam ingrediendi in terram promissam, cum tamen fidem ac potentiam Dei educatione ex Aegypto satis cognitam probatamque haberent, introitu exclusi sunt. Vt enim fides promissione Dei fideque nixa, ea merito nanciscitur, quae pro certis habet, ita incredulitas promissionem fidemque DEI adspernata illis merito priuatur, quae pro certis habere non vult. (conf. Ebr. III, 19. Cap. III. tot.) Notabile etiam est, quod in Apocalypsi (Cap. XXI, 8.) timidi vel primo loco inter illos numerantur, quos triste illud domicilium, lacus scilicet igni & sulphure ardens accipiet. Desperatio videlicet & prauus timor ex eo oriens, quod incredulitati indulgeret, multos salute priuat alterutrum efficiens, vt aut cursum salutis prorsus non ingrediantur, aut ingressi aliquantumque etiam progressi rursus deserant.

§. IIII.

Denique dari aliquam perseuerantiae persuasionem, ex eo quoque adparet, quod viri Dei diuinitus adflari bonam fiduciam non solum de sua, sed etiam de aliorum credentium perseuerantia declarant, quam nisi vanam fuisse & temerariam dicere velimus, idoneas causas suppetere oportet, quibus homini perseuerantia & sua, & aliena persuaderi possit. Ita vero Paulus, ut alibi, sic etiam ad Philippenses scribit



(Cap. I, 8) *confido illud ipsum, fore, ut, qui cepit in vobis bonum opus, perficiat usque ad diem Iesu.*

## §. V.

Verum cum de his, copiosius iam quoque dictum sit in prima disputatione facultatem perseverantiae docente, accedimus nunc ad alterum in eo positum, ut disquiramus qualis certa illa perseverantiae usque ad finem fides non sit, vel saltem non in uniuersum omnibus promittatur, ac quam proinde etiam temere desiderare non liceat. Ut ergo rem primo summatim & breuiter comprehendamus, quam deinde explicare sollicitius & declarare animus est, sententia nostra eo redit, non satis certe promissam esse ac proinde etiam saltem non promiscue dari credentibus in uniuersum omnibus, absolutam aliquam perseverantiae suae fidem in eo positam, ut Deus illis per spiritum suum id certum faciat, se ab aeterno prouidisse eos usque ad finem vitae in fide perseveraturos, ac proinde inter sic dictos *finaliter* & ad certam gloriae futurae adeptionem electos esse. Huiusmodi perseverantiae persuasionem nos quidem credentibus promiscue aut dari aut promissam esse in sacris litteris nondum perspicere possumus, ac proinde etiam non temere expetendam statuimus. Ne vero id temere adfirmare videamur ipsa rei grauitas id omnino efflagitat, ut *primo* sententiam nostram probemus, ac *deinde* etiam ea diluamus quae aut ex sacris litteris illi repugnare videntur, aut ex aliis causis illam in suspensionem & inuidiam adducere possent. *Denique* quoniam multi tum deum argumentis facilius assentiuntur, si auctoritates virorum doctorum atque vsu exercitatorum accedant, nihilque idcirco noui aut inuitati dici adpareat, selectis nonnullis testimoniis docebimus, alios iam ante nos idem sensisse, nostrumque his de rebus iudicium suo comprobasse.

## §. VI.



§. VI.

Primo itaque sententiam nostram ex sacris litteris probari oportet. 1) Igitur huiusmodi loci, nobis saltem inquirantibus, omniaque rite ponderantibus adhuc nondum occurrerunt, in quibus tale quid promittatur aut dari & datum esse certo satis dicatur. Iam vero in rebus sacris ac diuinis temere nobis opinari nec licet nec conducit; sed si aliquid aut statuere aut a Deo expetere velimus, id certo sacrarum litterarum testimonio niti oportet. Quae vero primo ad spectu tale quid indicare videntur, de iis postea disquirendi locus erit. 2) Credentes generatim in sacris litteris ad studium serium ac non intermissum perseuerantiae in bono ita impelluntur, vt simul pericula defectionis illis adhuc proponantur indeque extimescendi interitus, nisi caueant, vigilent, ac diligenter pro salute sua excubent; cuiusmodi adhortationes cum minis etiam periculorumque propositione coniunctae adeo necessariae non essent, si credentibus id proprie persuaderetur, Deum certam illorum perseuerantiam vsque ad finem praeuidisse; prouidentia enim illa Dei ipsis certo significata, cum sit & falli & fallere plane nescia, plane illos quoque certiores redderet, simpliciter iam si vltimum tandem & certe consecuturum euentum spectemus, amplius fieri non posse, vt exeuntes ex hac vita non sint fide & gratia, ac proinde pereant. 3) Nullus nobis satis idoneus ex sacris litteris locus constat, quo iniungatur fidelibus, vt de eo solliciti sint, quid Deus de ipsorum perseuerantia ab aeterno praenouerit, quo ex eo absolute certum exploratumque habeant, vtrum in fide vsque ad finem mansuri sint, nec ne. Id aut scrutari rimarique anxie & sollicitate, aut vt Deus ipsis notum faciat perere nunquam iubentur, nec exemplum satis idoneum aut indubitatum in promptu est, ex quo constet,



constet, sanctorum quenquam de illo aut pro se aut pro aliis anxie laborasse, aut laborandum necessarium existimasse, ac proinde ea de re sollicitum fuisse. 4) Denique causas quoque nobis perspicere videmur, quamobrem Deus id credentibus saltem promiscue non tribuat, nec tributurum se promiserit; quoniam scilicet, apud plurimos saltem, res illa plena aleae ac periculi futura esset. Faciamus enim credentem aliquem illud ex certe cognita praeuisione Dei, absolute perspectum exploratumque habere, se ex vita aliquando exeuntem non posse non in fide esse; nonne facile ex eo accidere potest, ut studium remitrat, sollicitationibusque vitiorum eo facilius cedat, quoniam certissime persuasum habet, oportere nihilominus omnia necessario ante finem vitae corrigi, quocumque demum illud pacto fiat, & quocumque modo se gerat. Cum ergo facile hoc pacto aliqua sensim securitas in animos credentium irrepere posset quam tamen Deus tantopere fugiendam edicit, facile adparet, cum sapientiae tum etiam bonitati diuinae apprime conuenire, ut nec ipse fidelibus significet, nec eos scrutari iubeat, quid de illorum perseverantia prouiderit ipse.

## §. VII.

Cogitandum ergo semper atque in disceptanda hac quaestione ante oculos ponendum est, remanere in credentibus, quoad hanc vitam agunt, vitiorum & infidelitatis fibras, quae etiam non plane cessant, sed sollicitant & aliquid ex se gignere laborant, quod naturae illorum conueniens est. Quamobrem admiranda Dei bonitas ac sapientia ex eo elucet, quod fideles pro eo tractat in hac vita ac sunt, non vero pro eo atque fingi aut optari possunt; quam ob rem etiam ipsi suas agendi desiderant, dique rationes ad diuinas agendi rationes accommodare,

ac



ac proinde non tam id quod ipsis maxime placet, quam id quod ex Dei iudicio ipsis maxime vrile est sequi atque expectare debent. Si ergo per omnem hanc vitam simpliciter & absolute impossibile non est, vt gratia aut plane rursus amitti aut saltem minui queat apud fideles; facile ex eo adparet, generatim illis profuturum non esse, si Deus ipsis praeuisam illorum a se perseuerantiam significaret; quoniam caro adhuc in illis reliqua certa huius rei scientia facile ad securitatem contentionemque remittendam abuti posset: cum contra illa tanquam freno reprimi ac coerceri, haec tanquam calcari admoro seruari atque incitari eo melius possit, si periculum ac metus ingenuus possibilis adhuc defectio- nis & amissionis salutis proponatur, ac proinde imperetur, vt saluti suae cum timore ac tremore operam dent. Porro ponamus e contrario docendi caussa, credentem aliquem in ea opinione esse, oportere se id agere, vt certo sibi exploratum fiat, Deum perseuerantiam suam vsque ad finem prouidisse, studebit sane atque ex hac opinione studere etiam de- bebbit, vt in rem illam eo vsque inquirat, dum illam certo cognouerit; at ex huiusmodi studio & opinione varia peri- cula extimescenda videntur. Primo enim facile accidere potest, vt sibi ipse certam ac diuinitus adlatam praeuisae a Deo perseuerantiae suae scientiam fingat, quam tamen vera non habet, quaeque etiam ipsi in verbo Dei promissa non est. Quod si fiat, vt omnino fieri potest, ipse se in hac re decipiet. Deceptio vero sui ipsius in sacris maxime ac diu- nis rebus nunquam plane innoxia aut sine omni periculo est. Quod si vero certam illam, quam sibi tamen necessariam pu- tat, huius rei cognitionem non consequitur, aut non conse- cuturum se esse idoneis indicis credit, facile adparet, hoc posito aut perpetuos angores & cruciatus animi ex prae-  
B  
ponde-



ponderant dubitatione extimescendos, aut verendum esse, ne contentionem aut plane aut saltem valde remittat, qui semel timer, vt Deus perseverantiam suam praeviderit, & vt salutem aeternam certo consecutus sit.

## §. VIII.

Verum progredimur nunc ad illa examinanda, quae aut ex sacris litteris sententiae nostrae haecenus explicatae repugnare, aut illam alio modo in suspensionem & invidiam adducere posse videntur. Triplicis generis vero sunt potiora illa sacrarum litterarum oracula, quae quantum quidem nobis iam succurrit, primo ad aspectu eam quam nos negavimus perseverantiae indubitatam & absolutam persuasionem docere videntur. 1) Itaque huc pertinent illi loci, in quibus credentibus tale quid a domino videtur indicatum; dum simpliciter, nulla adiecta conditione adfirmatur, eos vitam aeternam consecuturos, eoque perueniendos ubi dominus sit. Quidquid vero dominus promittit, illius quoque certam sibi fidem effici videntur cupere posse & debere credentes. Tale promissum continetur verbis domini (Ioh. X, 27. sq.) *oves meae, inquentis, audiunt vocem meam ac novi illas, & sequuntur me & dono illis vitam aeternam, & numquam peribunt, & nemo eripiet illas ex manu mea. Pater qui mihi dedit maior omnibus est, & nemo eripiet illas ex manu patris mei.* Verum enim vero oraculum hoc aliaque similia id quantum nos videmus, nondum probant, quod probari oportet. Id quod certo ex iis confici potest, sequentibus continetur; 1) scilicet, id quidem iis generaliter, adfirmatur, non stare per dominum, quo minus perseverent omnes, id quod verissimum est, atque in prima disputatione a nobis quoque iam satis ostensum. 2) Illud etiam asseueratur, nullam plane vim adversam & inimicam oves Christi ex manu illius posse eripere. Quod



Quod sicuti exploratum habere possunt fideles & altissime in animo defigere, ita ex eo nondum sequitur, plane fieri non posse amplius, vt ipsi se sua culpa a Domino auellant. 3) Dominus non sine causa ante promissum illud editum, mentionem officii ouium facit, easque illo ipso tacite monet, vt illud numquam non praestent, atque hoc pacto sibi persuasum habeant, se suo muneri numquam defuturum. Haec omnino certe ex his verbis constant, sollicitos vero illos esse oportere de eo quod Dominus de ipsorum perseuerantia vsque ad finem praeuiderit, ex his verbis aliisque similibus sententiis non confici posse videtur.

§. VIII.

2) Absolutam huiusmodi persuasionem constantiae vsque ad finem etiam confirmare atque illius curam iniungere videntur illa mandata, quibus suam εκλογην seu electionem certam facere iubentur credentes. Sic enim Petrus scribit: (2 Ep. I, 10.) *propterea magis fratres diligentiam adhibete, vt firmam vocationem vestram & electionem faciatis, nam haec facientes non labimini vquam.* Sed accuratius vocem hanc apostoli expendentibus facile adparebit, minime illa id dici, de quo iam agitur. 1) Concedere possumus iniungi fidelibus, vt se magis magisque confirmare studeant in eo, se aeternam salutem consecuturos. Id vero probandum demum est, confirmationem eam in illo poni, vt cognoscere & indagare laborent, quod Dominus perseuerantiam illorum ab omni aeternitate praeuiderit. Dantur enim etiam alii confirmationis modi 2) hic ipse locus accuratius inspectus persuasionem perseuerantiae non absolutam ex cognita nobis praeuisione Dei, sed certa via & sub certa conditione confirmandam docet, si modo cohaerentia illius cum superioribus sollicitate & attente consideretur. Cohortatus scilicet



fuerat apostolus fideles in superioribus ad diligentissimum gratiae a Deo in ita usum in perpetuo ac serio sanctificationis studio; (commate 5-8) deinde subiungit (commate 9) quantum detrimentum ii capiant, imo salutis plane iacturam faciant, qui id negligenter agant. Huius igitur negligentiae periculum tanquam nouum calcar credentibus additurus, subiungit: ideo fratres, cum scilicet praetermissio officii a deo necessarij salute hominem priuare possit, eo magis elaborate, ut vos confirmetis in iis, quae coelestis uestra uocatio, (Eph. III, I.) uocatioque illorum exigit, qui tamquam electi ac probati, gloriosi illius regni Dei participes esse cupiant: quam diligentiam si adhuc bebitis, non est quod de bono tandem exitu anxii sitis ac timeatis nedum desperetis; nam illa, ad quae vos supra hortatus sum sedulo & studiose agentes (c. 5-8.) non labemini, nec de via recta depellemini, Deo numquam non sua pariter acturo, uobisque de omnibus prospecturo. Nam hoc modo, nullo uero alio, hoc autem certe, abundanter uobis suppeditatur introitus in regnum Domini gloriosum. Ex hoc breui ac succincta uerborum interpretatione, quam cum perspicuitas ac facilitas, tum cohaerentia orationis uniuersae aequis lectoribus, ut speramus, probabit, satis adparet totam apostoli cohortationem eo pertinere, ut id agant sedulo credentes, quod si nunquam non agant, ex promisso Dei certo in gratia Dei usque ad finem permanfuri sint; non uero iuberi his uerbis id nosse cupere, utrum Deus perseuerantiam illorum ab aeterno praeniderit. 3) Ambigi adhuc potest, an uocabulum ἐκλογῆς in hac oratione positum electionem sic dictam *finale*m proprie significet, ac non potius electionem ad gratiam generatim, siue statim electum i. e. bonum ac beatum, in quo fideles per fidem Christo illos iungentem collocati sunt. Recte enim iam ab aliis quoque obserua-

serua-



fernatum est, non semper de electione sic dicta finali cogitandum esse, vbi in sacris literis electionis, electorum &c. mentio fit \*).

§. X.

3) Denique absolutam aliquam perseuerantiae ad finem fidem docere videri possent illa diuinorum virorum ef-

B 3

fata

\*) Notionem vocabulorum sententiarumque *electus, electio, eligere ad salutem* &c. latius interdum saltem in s. literis patrem pluribus etiam defendit ac vindicat CHRISTIAN. EBERH. WEISMANNVS *Theol. Exeget. dogm.* L. X. p. 642. lqq. laudatis simul multis aliis Theologis Württembergicis antiquioribus & recentioribus ea de re consentientibus, cum plurimi contrariam sententiam secuti sint. Nec sine omni veri specie monere videtur, nimiam Huberianismi fugam atque odium simul olim in causa fuisse, cur opinio notionis angustioris horum vocabulorum, solis finaliter electis definitae, apud plurimos Theologos inualuerit. Adiungimus adhuc ex recentioribus GUST. GEORG. ZELTNERVM in notis ad epist. RVARI *histor. Crypto-Sozinismi Altorfni* subiectas p. 417. Cum enim RVARVS in epist. ad IOACH. PEYSCHELIVM difficultates illius sententiae exposuisset, quae notionem horum vocabulorum solis finaliter electi definit, ZELTNERVS illas sublaturus ita scribit: *Omnis haec difficultas facile expirat, si probe, quod saepius in scriptura N. T. vsu venit, inter electos ad gratiam, intuitu fidei verae Deo vtrique cognitae, quam diu illa durat, & electos ad gloriam quam etiam completam nonnulli vocant, respectu habito ad fidem veram simul ac perseuerantem ad finem usque vitae distinguas, & quandoque illos deleri e libro vitae gratiae, quando fidem excutiunt, neutiquam vero hos e libro vitae gloriae tolli posse (ex vno detersis scilicet, si sint ut constantes eis telos praecogniti) autumant. Ita certe scriptura non refragante imo requirente multae difficultates solui, & omnes iritae, quas nexuit h. l. Ruarus commodissime extricari poterunt.*



fata, quibus cum suam tum aliorum aeternam gloriam ac proinde etiam perseverantiam certo sibi persuasam fuisse adfirmare videntur. De utroque itaque oraculorum genere separatim dicendum esse putamus. De se ipso igitur Paulus v. gr. ita pronuntiat (2 Tim. I, 12.) *novi cui credidi, & persuasum habeo potentem esse ad servandum depositum meum in illum diem.* Et (c. III, 7. 8.) *bonum certamen certavi, cursum confeci, fidem servavi; ceterum iacet mihi iustitiae corona, quam Dominus mihi dabit in illo die iustus iudex.* Et porro (c. VIII.) *liberabit me dominus ab omni malo & saluum perducet in regnum suum coeleste.* Verum enim vero ex his similibusque quidem locis omnibus illud satis liquet, apostolum plenum optimae spei imo fiduciae fuisse cum de Domini perenni fide, immutabilique erga se voluntate, tum de salute aeterna per illum consequenda. Id vero non dicitur certam hanc fiduciam absolutam fuisse, atque ex cognitione praevisae a Domino perseverantiae suae ortam. Possunt enim esse & sunt omnino plurimae aliae, & quidem optimae fiduciae & laetae spei causae. Exstant vero etiam, ut supra diximus, alii loci, in quibus certam persuasionem perseverantiae aliorum significare videtur Paulus. Ita enim ad Thessalonicenses scribit (1 Ep. I, 4. sq.) *gratias agimus Deo scientes electionem vestram.* Et (2 Ep. II, 13) *nos vero, inquit, gratias agere debemus Deo semper pro vobis fratres a Domino dilecti, quod elegit vos a principio ad salutem in sanctificatione spiritus & fide veritatis.* Verum enim vero ex his locis certa perseverantiae Thessalonicensium fides, ex cognita ipsi praevisione Dei, apostolo effecta plane effici non potest, nisi de ea re iam aliunde constet. Quod enim ad primum locum attinet, occurrit in eo vocabulum *ελεοση*, de cuius varia notione iam supra aliquid monuimus. Fac ergo primo, hoc  
voca-



vocabulo hoc quidem in loco electionem *finale*m signari; consequetur ex eo de omnibus omnino Thessalonicensibus id certum habuisse apostolum, eos esse finaliter electos, ac proinde etiam finaliter perseuerantes; id quod nobis quidem parum verisimilitudinis habere videtur; quoniam id vix comprehendi potest, nisi alterutrum statuamus, aut gratiam semel acceptam, absolute & simpliciter amitti non posse, aut apostolo per extraordinariam Dei patefactionem vniuersalem omnium Thessalonicensium perseuerantiam innotuisse, cuius tamen rei nullum alicubi vestigium cernitur. Quae cum ita se habeant, vocabulum *εκλογη* nostra sententia generatim hoc loco electionem ad gratiam, statimque praesentem Thessalonicensium bonum exoptatumque significabit. Soler enim, quod in suo genere praestatur, & aliquid praecipui habet, electum vocari. Sic v. gr. Paulus Rufum (Rom. XVI, 13.) *electum in Domino* appellat, imo ipse in eandem sententiam ab ipso Domino *σικνος εκλογη*, seu *vas electionis* nominari videtur, (Act VIII.) confirmatur haec interpretatio praeterea toto orationis contextu. Verbis enim: *scientes electionem vestram*, causa maxime continetur, cur apostolus tam diligenter laetique animo DEO gratias agat, pro Thessalonicensibus, in eo posita, quod statum illorum singulariter & cum praestantia aliorum bonum idoneis iudiciis cognitum habeat. Ecclesia enim Thessalonicensis illo quidem tempore fide, amore aduersorumque tolerantia ita excellebat, ut apostolus illa gloriari, eamque aliis ecclesiis, tamquam exemplar ad imitandum proponere potuerit, (conf. 1 Ep. I, 6. sqq. c. II. c. III. 2 Epist. I.) bonum vero hunc statum, in quo tum erant, non omnem plane sollicitudinem de futuro apud apostolum exclusisse vel ex (c. III, 5.) constare potest luculenter; vbi causas, cur Timotheum ad illos



illos visendos miserit, exponens, *nisi ad vos, inquit, ut cognoscerem fidem vestram, ne vos forte tentasset tentator & labor noster irritus fieret.*

## §. XI.

Progredimur itaque ad alterum locum ex posteriori ad Thessalonicenses epistola petitem, cuius interpretatio ex supra dictis nihil iam difficultatis habet. Tristitia scilicet praenunciauerat apostolus ecclesiae impendens magnamque multorum a veritate defectionem. Quo facto ira pergit, *nos vero gratias agere debemus Deo pro vobis, quod elegit vos Deus a principio ad salutem.* Gratias itaque agit apostolus Deo pro eo Thessalonicensium statu, qui diligenti ac fideli gratiae iam acceptae vsu ita confirmatus ac probatus erat, vt contra defectionem satis muniti essent, idemque de illis in posterum quoque sperari posset, si modo statum illum teneant; quem ad rem omnino necessariam, si id fieri deberet quod cum laude Dei & bona spe praesumebat, apostolus proinde eos statim cohortatur, atque eo ipso satis docet, quae de munitione illorum contra defectionem dixerat, non absolute & simpliciter, nec in eam sententiam esse accipiendam, ac si illa simpliciter iam fieri nequeat, quocumque etiam modo se gesserint, quoniam perseverantiam illorum a Deo certo praesensam, ac proinde etiam electionem finalem certo cognitam habeat. Intentio ergo effati Paulini haec nobis esse videtur. Laeti Deo gratias agimus vestra causa, quod idoneis experimentis nouimus, Deum vos elegisse ad salutem, quae salus cum bona spiritualia huius vitae, quae vobis iam tribuit, tum etiam gloriae & bona vitae futurae complectitur, quae vobis, licet nondum possideatis, certo tamen ex sua parte destinavit, eo pacto vt nulla plane iusta dubitandi causa sit, eum quae adhuc restant pari voluntate porro collaturum, atque ea quae



quae iam contulit. Sicuti vero Deus salutem & iustitiam, qua iam in hac vita beati estis effecti, vobis in ea salutis via, quam ipse fecit, donauit, dum videlicet a spiritu sancto vos sanctificari & ad fidem veram perducere passi estis, ita in eadem illa via, si modo illam, quod omnino fieri potest, semper tenueritis, tribuet vobis in posterum quoque perfectam salutem aeternamque gloriam, quam vobis, quantum ad ipsum attinet, pro sua in vos propensa voluntate, certo destinauit, quamque proinde certo etiam adipiscemini, si modo ipsi vobis non defueritis; quae cum ita se habeant, omniaque iam in vobis posita sint, hortor vos pro virili parte ac pro meo in vos animo, ut stetis & teneatis tradita vobis &c. Ex his apparet, apostolum non adfirmare Thessalonicensium electionem finalem ad gloriam, ac proinde perseuerantiam finalem ex certa praeuisione Dei sibi innotuisse. \*)

§. XII.

- \*) Refertur forte etiam huc aliquo modo possent loci, in quibus mentio fit Libri Vitae inscriptorumque in illo. (Phil. III, 3. Apoc. III, 5. c. XIII, 8. c. XVII, 8. c. XX, 12. c. XXI, 27.) Hi enim nisi fallimur sunt loci N. T., in quibus Liber vitae discrete commemoratur. De hoc libro vitae inscriptisque in illo varie multumque disputatum est. Quod ut per se, si modeste fiat, improbari nequit, ita tamen praestat, id maiori adhuc conatu agere, ut talis fias & maneas, quales in illo certo inscripti inveniuntur. Nobis in praesenti sequentia obseruare sufficit. 1) Contineri hoc libro (qui sane ut membranaceus aut ex alia quadam materia, ad nostrorum librorum rationem confectus cogitari non debet) nomina illorum, quorum perseuerantiam vsque ad finem praecidit Dominus, ac qui proinde aeternam gloriam certissime consequentur, iure dubitari non potest, cum id vnus alterque locus supra laudatus perspicue satis indicet. 2) Nonnisi per veram viuamque fidem cum Christo reuera coniuncti inscripti extant in Libro vitae.

C

An



## §. XII.

Cum ergo sacrae litterae talem persuasionem perseverantiae finalis, quae nitatur praeuisione Dei, fidelibus praefecta, non doceant, nec polliceantur, restat iam ut quae hac de

3) An vero non etiam ii censendi sint inscripti, qui vere quidem crediderunt salutemque ac vitam in Christo consecuti sunt, at sua culpa non permanserunt in fide & officio vsque ad finem vitae, alia quaestio est, quae aliquid dubitationis habere videtur, imprimis propter locum ex Apoc. III, 5. in quo deletio nominis ex libro vitae, non tamquam talis res poni videtur, quae plane fieri non possit. Videri enim cuiquam posset, dari & tales, qui modo ad tempus inscripti sint, postea vero deleantur, quia fidem non constanter seruant. Interim tamen nihil quidquam hac de re cuiquam obrudimus, imo ne ipsi quidem adfirmamus aut definimus, parati quippe libenter iis concedere, qui certiora ac meliora docebunt. 4) Quando Dominus Luc. X. nomina discipulorum in coelo scripta adfirmat, idem videtur dicere quod inscriptio in Libro vitae dicit. 5) Quaecumque sit ratio libri vitae, locorumque in quibus commemoratur, ex iis probari non potest, Deum velle credentibus in vniuersum omnibus certam perseverantiae suae ad finem fidem facere, ex praesignificata illis ipsius praeuisione. Quod ut appareat, sequentia notari volumus a) faciamus librum vitae illorum tantum nomina continere, qui ad finem perseverantiae proinde in omnem aeternitatem beati efficiuntur; plurimi saltem loci tamen nil aliud perspicue ac certo doceant, quamquam Deum illos omnes plane cognitos habere; minime vero illud, Deum illos de sua praeuisione sollicitos esse velle b) illi quorum Paulus meminit Phil. III, 3. videntur iam tum diem suum obiisse, potuitque Paulus optima spe ac fiducia perseverantiae illorum ita de iis scribere, etiamsi absolute certam ex reuelatione singulari illius rei fidem non habuit. Nihil erat, quod spei illi ac fiduciae obesseret, multa  
vero



de re modeste diximus, inuidia adhuc aliarum rerum, quae cuiquam in mentem venire possent, liberemus. Primo itaque cogitare facile aliquis atque oblicere posset, si res ita se habeat, prouti a nobis exposita est, fideles tamen ante beatum ex hac vita exitum non plane sine omni metu ac sollicitudine viuere posse, quoniam non absolute certum habeant, Deum illorum perseuerantiam prouidisse. Quod ut diluamus, sequentia probe obseruanda esse iudicamus. 1) Igitur id pro certo ponimus, in rebus diuinis uoce sacrarum litterarum testimonio standum, ac proinde omnia iudicia nostra & consilia ad illud dirigenda esse. Quid quid ergo in uerbo Dei fidelibus certo promittitur, de illo nefas esset aliquid detrahere, Deusque hanc mentem consiliumque a nobis prohibeat. Contra uero tribui illis etiam non debet nec promitti, quod in uerbo Dei certo promissum esse probari nequit. Quod si enim uel optimo consilio cum in iis quae ad credenda tum ad agenda pertinent, aliquid statuamus aut urgeamus, quod a formula sanorum uerborum aberrat, temporis successu plus ex ea re detrimenti quam emolumenti orietur, si uel maxime in principio aliquid utilitatis habuisse uisa sit. 2) Licet absoluta perseuerantiae fides ex praeuisione Dei fidelibus promissa non sit, promissa tamen est alia, quae ipsis pro statu huius uitae sufficere potest. 3) Verum

C 2

quidem

uero quae confirmarent. Ut taceamus, monente BENGELIO in Gnom. ad h. l. optatum quoque hic commode posse suppleri, in hanc sententiam, *quorum nomina (sunt in libro uitae.* coll. ad rem 2 Tim. I, 18. c) Denique, si uel maxime concedatur, licet uix satis probari possit, Dominum Luc. X. discipulis suis *finale* ipsorum *electionem* ac proinde perseuerantiam a se praeuisam significare, neuiquam tamen ex eo confici posset, id omnibus credentibus contingere aut hoc Domini facto promitti.



quidem est, quod dicitur, fideles rebus ita se habentibus, in hac vita non plane sine omni sollicitudine esse posse, sed contendimus ne debere illos quidem, quoniam verbum Dei certum sollicitudinis ac metus genus ipsis imperat, quo plane carere velle periculo non careret. Sollicitudo enim illa, quam verbum Dei nobis adfert, quemadmodum infra docuimus, non ita comparata est, ut fiduciam necessariam minuat, sed ut securitatem ac negligentiam prohibeat, contra vero studium ac diligentiam exacuat: quod vero hanc apud fideles vim habet iis conducere imo necessarium esse, nemo temere negabit, qui statum eorum in hac vita recte aestimaverit.

## § XIII.

Deinde sententia nostra adhuc exposita, minus recte attendentibus aliquid cognari habere videri posset cum pontificiorum erroribus. Hi enim primo certam fidem praesentis salutis statusque gratiae esse negant, in concilio Tridentino ita statuentes. (Sess. VI. c. 9) *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet; si quilibet dum se ipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest, cum nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Geminus est huic voci Canon. XIII. subiectus, hisque verbis comprehensus. *Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo absque ulla haesitatione propriae infirmitatis & indispositionis peccata sibi esse remissa, anathema sit.* Progrediuntur vero etiam ad perseverantiae munus, de quo totum c. XIII. eiusdem sessionis agit, ita se habens. *Similiter de perseverantiae munere, de quo scriptum est Matth. X, 22. XIII 13.*  
quod



quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est, cum qui stat statuere, ut perseueranter stet, & cum qui cadit restituere, nemo sibi certi aliquid *ABSOLUTA CERTITVDINE* polliceatur; tamen in *DEI* auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum tremore ac timore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis in eleimofynis, in orationibus & oblationibus, in ieiuniis & castitate. Formidare enim debent scientes quod in spem gloriae & nondum in gloriam renati sunt, de pugnae superest cum carne cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum *DEI* gratia apostolo obtemperent, dicenti *Rom. VIII, 12. 13.* quae ne quis in dubium vocet, quasi capite postea sanciant, hunc in modum statuente Canon. *XVI.* Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiae Donum se certo habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.

§. XIII.

Ad haec vt paucis respondeamus; ad primum quidem, quod ad certam fidem salutis praesentis statusque gratiae pertinet, haec obseruanda sunt 1) certam fidem salutis praesentis Deus omnino pollicitus est, eam itaque credentes sequi omnino debent, dum consequantur, quoniam alioqui indulgentia *DEI* per Christum sibi data rite frui non possent, nisi illam certo exploratam haberent aut habere possent. 2) Habet tamen illa res suos gradus, gradibusque etiam augeri solet. Hinc, vt alia gratiae inhaerentis opera, inter varia certamina fere effici solet, dum res eo perducitur, vt dubitationes sollicitudinesque ex indignitatis conscientia maxi-



me orientes, magis magisque & ita vincantur, vt cerra beuolentiae diuinae persuasio in anima praeponderet. Quod si factum est recte dicitur fides gratiae diuinae effecta; quae hoc nomen suum nihilominus tuetur ac retinet, etiamsi interdum cum oriente aliqua sollicitudine rursus certandum habeant. Solent enim opera gratiae inhaerentis ex maiori ac potiori parte appellari, etiam si gradu modoque nondum ita perfecta sint, vt magis adhuc perfici nequeant. Sic recte orationique biblicae conuenienter *sanctificatus & sanctus* appellatur & habetur ille, apud quem gratiae principium principarum obrinuit carnisque imperum fregit, quique studium suum operamque sedulo eo conuertit, vt bona illa gratiae magis magisque confirmentur, vitia contra magis magisque eneruentur & extirpentur, licet ab omni periculi sollicitatione & lucta nondum plane liberatus, ac proinde etiam nondum perfecte & ita sanctificatus sit, vt nihil amplius accedere aut possit aut debeat. Omnia enim gratiae bona inter varia certamina comparari, retineri, & augeri solent. Quae si obseruentur, (non vero semper ita vt par est, ab omnibus obseruantur) multa, quae alioquin in hoc argumento paullo impeditiora videntur, facilius expediri possunt. 3) Patres Tridentini multa in his decretis suis satis ambigue ponunt, lectoremque de vera sententia incertum relinquunt, id quod de industria ab illis factum esse, vt dissentientium hac de re inter ipsos, verba decreti in suam quisque sententiam accipere, ac proinde us acquiescere posset, ex historia concilii admodum verisimile est. \*) 4) Cum decreta illa nobis quoque

\*) Inter ipsos scilicet concilii assessores de *certitudine gratiae* non satis conueniebat, dimicantibus maxime ea de re acriter inter se AMBROSIO CATHARINO & DOMINICO SOTO, illo quidem



que opposita esse debeant, facile quoque intelligentibus constare potest, nostram sententiam nec satis candide nec plene expositam esse; nec minus confundi etiam, quae sollicitate in docendo distinguenda sunt: cuius rei illustre admodum exemplum est, quod iustificationem absolutionemque ipsam,

quidem eam defendente hoc vero oppugnante. Duumiri etiam hi scriptis postea mutuis digladiari perrexerunt. Prudentiae igitur scilicet Theologicae videbatur esse patribus, sensa animi eiusmodi verbis comprehendere, quae vtraque pars in eam, quam ipsa sequebatur partem, interpretari cum aliqua saltem specie posset. Re vera interim *incertitudinem gratiae* stabilire voluerunt patres, ut ex ipsorum pontificiorum effatis facile probari posset, si id iam ageretur. Exstiterunt tamen semper cordati inter illos viri, qui ipsa apertae veritatis vi coacti re vera nostram sententiam confirmarunt: inter quos numerandus est AYGVS. CALMET in comment. litter. ad Rom. VIII, 16. ita scribens: *Le temoignage que le s. Esprit nous rend interieurement, que nous sommes les enfans adoptifs de Dieu, ou selon le texte grec, le temoignage de notre esprit ioiint a celui du s. Esprit, en sorte, que ce sont en quelque sorte deux temoins de la meme chose. Ce temoignage ne peut etre que tres certain, & nous ne pouuons raisonablement lui refuser notre creance.* Subiungit quidem postea, quae in pontificio aliquid suspitionis habere possunt, praesertim cum alibi quoque communi suorum sententiae patrocinari videatur; possunt tamen omnia bonam quoque interpretationem habere, sicut etiam illa quibus concludit, ita disserens. *Il est rempli de confiance, mai sans presomtion; il crie mon pere, mais il se souvient, que Dieu est aussi son iuge. Il demande a Dieu, d'augmenter sa foi, sa charite, son esperance, de peur que l'orgueil & la vaine confiance, ne lui fassent perdre le fruit de son adoption, & les bonnes graces de Dieu son pere.* Sic veritas victrix est, atque inter medios obrectatores inuenit, qui illi vel id non cogitantes testimonium perhibent.



ipsam, quae apostolo praeunte actio forensis in iudicio diuino est, vt in tota sua de iustificatione doctrina, ita etiam hoc loco, cum certa illius rei cognitione, quae in hominibus omnino effici debet, temere confundunt.

## §. XV.

Quod vero ad alterum Tridentinorum decretum de perseverantia finali scilicet attinet, continentur quidem in illo varia, de quibus illis libenter assentimur. Recte se habent quae de firma fiducia in auxilio Dei in posterum quod non defuturo recte se gerentibus dicuntur; probamus etiam plurima quae de adiuentis perseverantiae differuntur, exceptis tamen excipiendis, recteque explicatis, atque ad normam verbi diuini, exactis nonnullis, quae ambiguam interpretationem habent, ac propter alia patrum decreta admodum suspecta sunt. Merito vero improbamus quod *absolutam* certitudinem ab *hypothetica* non ita vt par erat, distingunt, nobisque iniuriam faciunt, si illa reiicienda nos petere & damnare volunt, cum illam promissam esse aut temere experi debere minime contendamus, sicuti ex statim transferendis Theologorum testimoniis abunde constabit. Id quod secundum partitionem supra a nobis factam adhuc adiungendum restat, vt adpareat probatissimis Theologis nostris numquam non ita visum esse, non promitti scilicet credentibus nec dari fere absolutam aliquam perseverantiae finalis fidem, ex certa praeuisione Dei ipsis significanda.

## §. XVI.

Primo itaque loco ipsum Lutherum testamur in aurea illa in epistolam ad Romanos praefatione, legenda non solum sed lectitanda imo ediscenda; vbi egregie docet, qua via ad certam fidem perseverantiae veniatur. Adiungimus vero vt omnia melius pateant, quae in formula concordiae hac  
de



de re occurrunt, in qua grauiter docetur, cum quid promissum ac sequendum in hoc negotio sit, tum quid non promissum ac proinde etiam temere inuestigandum aut expectandum non sit, ita vero loquuntur auctores (p. 806) *Præterea scriptura testatur Deum qui nos vocauit adeo fidelem esse, ut cum bonum opus in nobis inceperit, illud conseruare, & continuare atque ad finem usque perducere & perficere velit, si modo non ipsi* (en hic hypotheticae, non absolutae fidei ex cognita præuisione Dei, perseuerantiae in bono adfirmationem) *nos ab eo auertamus; sed initium substantiae usque ad finem firmum retineamus, ad quam constantiam suam nobis gratiam promissit. Hanc reuelatam voluntatem Dei inquiramus meditemur, atque ut eidem pareamus sedulo elaboremus, quandoquidem spiritus sanctus per uerbum (quo nos uocat) gratiam, vires, & facultates largiri uult; arcanæ autem & occultæ predestinationis diuinæ abyssum perscrutari ne conemur. In hanc sententiam Christus cuidam curiose interroganti, an pauci saluarentur respondit; contendite ut intretis per angustam portam. Et LUTHERVS inquit: eodem ordine quem Paulus in epistola ad Romanos obseruauit proinde prima tua cura sit de Christo eiusque euangelio ut & tua peccata & ipsius gratiam atque clementiam agnoscas. Deinde luctare cum peccato, sicut docet Paulus a primo capite usque ad octauum. Postea ubi in octauo capite satanae tentationibus & adfectionibus exercitatus fueris, nonum decimum & undecimum caput recte te docebunt, quanta in prædestinatione diuina consolatio reposita sit. Consentientia his, imo illustriora adhuc nostramque sententiam plane confirmantia sunt, quæ leguntur (p. 812.) ubi dubium quidem, inquit, non est, quin Deus exactissime & certissime ante tempora mundi præuiderit, & bodie etiam norit, quinam ex eorum numero, qui uocati sunt,*

D in



*in Christum credituri aut non credituri sint; qui ex conuersis in fide perseveraturi sint, quinam, & qui in peccata grauiora prolapsi reuersuri sint, & qui in sceleribus perituri, & baud dubie etiam numerus illorum qui saluabuntur & damnandorum Deo probe notus est. Quia vero dominus talia arcana soli suae sapientiae reseruauit, neque ea de re quidquam in verbo suo reuelauit, multo vero minus haec mysteria cogitationibus nostris indagare nos iussit, quin potius ne id curaremns prohibuit, non decet nos cogitationibus nostris indulgere, statuere aliquid, ratiocinari, aut illa occultissima inuestigare uelle; sed in verbo ipsius reuelato, ad quod ille nos ablegauit, acquiescere nos oportet.*

## §. XVII.

*Eidem sententiae de certitudine perseverantiae non absoluta sed hypothetica etiam alii Theologi subscriperunt; ex quorum numero nonnullos adhuc laudare conducer. Primus ergo in medium prodeat MICHAEL WALTHERVS, qui in quadragena miscell. Theol. quaestione XXXVI. de incertitudine praedestinationis, perseverantiae & salutis (p. 707. seq.) ubi (p. 711) ita scribit: De perseverantiae dono peccus meum redditur certum per certitudinem hypotheticam non absolutam, 1) Dulcissima Dei promissio Phil. I. 6. confidens in hoc fido quod qui coepit in me opus bonum, perfecturus sit, usque in diem Iesu Christi &c. 2) Christi intercessio — hinc, (scilicet ex causis fusius explicatis, a nobis uero partim iam expostis partim postea exponendis) utique firma fides in corde meo oriri potest de perseverantia, cum sciam nihil me posse e statu gratiae dimouere, nisi mihi ipse malitiose uelim deesse. Et (p. 713) Rursus, scilicet uerum est, quod Deus ipse de eo, num ille uel iste ad salutem certo sit peruenturus ex finali in fide perseverantia iudicium ferat, sed perseverantiam illam in fide ne-*  
mini



mini suorum quos specialiter nouit, denegat, si modo frugi se se praestiterint & a peccatis regnantibus abstinerint, fidemque suam exercitiis pietatis quotidie adauxerint; fidelis namque est, qui neminem tentare vult ultra vires &c.

§. XVIII.

Adiungimus WALTHERO, ANDR. QVENSTEDIVM in theologia didactico-polemica P. III. c. VIII. quaest. VIII. in qua tractatur, 1) argumentum de certitudine gratiae & iustificationis praesentis, 2) de certitudine perseuerantiae & salutis futurae, quam (n. III. p. 561.) ita explicat aliosque theologos consentientes laudar; *distinguendum est*, inquit, *inter certitudinem iustificationis ac remissionis peccatorum praesentis, & certitudinem fidei futurae, & perseuerantiae eiusdem finalis, nec non de iustificationis continuatione, & futura gratia & gloria.* Unusquisque fidelium se pro praesenti iustificatum & in gratia Dei esse, absoluta certitudine nosse potest; sed de salute futura & perseuerantia certus esse potest, non absolute sed tantum hypotbetice, quatenus media perseuerantiae diuinitus instituta non spernit, sed semper obseruat; interim tamen infallibilis est illa certitudo quoad eius possibilitatem. Certitudo vero de gratia DEI & remissione peccatorum praesente homini fideli non coniecturaliter tantum, sed fidei certitudine & cui falsum subesse non potest, ex Dei promissione eiusque ad se adplicatione notissima esse potest ac debet, (D. AEGID. HUNNIVS Tom. I. opp. pag. 9.) docet. De finali perseuerantia posse hominem fidelem indubitato statuere, dummodo firmum habeat propositum cauendi sibi per gratiam DEI a peccatis contra conscientiam ne circa fidem naufragium faciat. D. HOEPPNERVS Disp. VI de iustificatione p. 337. nos, inquit, de fide futura dicimus, hypotbeticam quidem sed tamen infallibilem dari certitudinem quoad eius possibilitatem. GERHAR-



DYS in confessione cathol. (p. 726.) certitudo de perseverantia ait non est absoluta sed hypothetica, quatenus media perseverantiae non negliguntur sed usurpantur, eatenus de perseverantia certi esse possumus. Tuentur itaque Theologi nostri non absolutam sed conditionatam certitudinem futurae salutis, sed cum exclusione dubitationis tamquam hostis atrocissimi. Et num. VIII. l. c. ita scribit, discrepantiam nostrae sententiae a pontificiorum erroribus exponens. Statuimus certitudinem non moralem, probabilem vel coniecturalem, multo minus talem, quae in vana persuasione consistat, nulli innixa fundamento, sed vere diuinam, infallibilem, cui falsum subesse non possit, & quae dubitationem, formidinem & anxietatem omnem penitus excludat; absolutam quidem de remissione peccatorum & gratia praesente; hypotheticam vero de perseverantia & salute futura, sub ea nimirum conditione, si ad vitae finem usque perseveranter in fide maneamus. Et rursus (p. 571.) perseverantiae certitudo relativa seu cognitionis, quoad hominem renatum non est absoluta sed hypothetica. Coloss. 1, 2, 3. Christus exhibebit vos immaculatos coram se, si tamen permanseritis in fide fundati & stabiles. Denique subiungimus adhuc quae idem auctor scribit: (p. 578. num. XXII.) Certitudo hominis fidelis de perseverantia futura, quoad perpetuam oblationem causarum positivarum ex parte Dei, & efficientium perseverantiam est & debet esse indubia, quia nititur promissione causae supremae pollicitantis se peracturum in adhibitione mediorum causarum perseverantiam positivae producentium — sed certitudo de perpetua absentia causarum privativarum & impediuntium perseverantiam non est ante finem vitae, quoad fidelis propriam notitiam infallibilis. Neque Deus fidelibus in uniuersum talem infallibilitatem notitiae & futuritionis uspiam promisit, sed monuit potius de possibilitate lapsus. Haec ille.

§. XVIII.



§. XVIII.

Adiungimus denique adhuc ex recentioribus grauissimum ac perspicacissimum Theologum Tübingensem CHRISTIAN. EBERHARD. WEISMANNVM in *instit. Theol. exegetico-dogmaticae* Lib. X. p. 676. grauiter, pie, modeste ac caute ita differentem, vt dicta illius plane notari ac sobrie ponderari velimus. *Iudicium illud, inquit, decretorium de damnandis vel saluandis indiuiduis post vltimam in fide aut infidelitate perseuerantiam ad maiestatica potius arcana soli Deo cognita & reseruata pertinet, quam ad veritates reuelatas, hominibusque scitu necessarias & vtilis. Quis enim hominum ad finem vsque certo sit perseueraturus nec ne? extra reuelationem specialem nemini datur cognoscere, nec opus est, vlli vt hoc sciat, siue ad fidei plenopboriam siue ad vsum fidelem gratiae praesentis, siue ad consolationem quaecumque homini necessariam. Atqui docent theologi posse fideles de electione sua, qualis in sacris litteris proponitur, certos esse, docent ingentem inde consolationem ad vere pios deriuari, docent denique quibus argumentis vinci debeant tentationes, nonnunquam super electione sua in eorum mentibus suborientes. Frustra haec esse videri possent, si de finali electione tantum quaesitio est; quam cum ipse Deus nostrae votiriae subduxerit, illa nec fidei nec consolationis obiectum aut fundamentum esse poterit. Quae & causa est, cur theologi hominem de electione sua sollicitum ablegare soleant, ad beneuolentiam Dei vniuersalem, ad gratiam praesentem, ad promittitudinem parati apud Deum auxilii etiam in maximis tentationibus, ad possibilitatem per huius gratiae subsidium ad finem vsque in Dei communiione perseuerandi, aliaque fundamenta consolationis similia, minime vero ad praecognitionem diuinam finalis perseuerantiae quae fundamentum est electionis finalis.* Subiicit postea (p. 684.) inter porismata



practica sequentia quoque valde egregia, & digna quae ad-  
 scribantur ac seruentur. Si quisquis vere fidelis hoc ipso et-  
 iam electus est, aestimatione diuina, hoc maxime agamus, vt  
 de statu praesenti gratiae solliciti simus; nec necesse habebimus  
 vel praeterita vel futura Dei arcana circa nostrae salutis ad-  
 ministrationem temere ac praepostere scrutari. Si quisquis  
 est extra fidem & statum gratiae, hoc ipso etiam reprobus est,  
 fugiamus hunc statum reprobationis praesentem. Quod si  
 semper fecerimus, vt per gratiam Dei possumus, a periculo suae  
 praeuisae, siue impletae reprobationis via tutissima securi praes-  
 tabimur. Si Deus nobis non reuelauit inuidualem cuius-  
 que perseverantiam, concludamus inde, huius rei notitiam non  
 esse necessariam, imo contrarium nobis a DEO indicatum esse  
 salutarium atque vtilius. Hinc non tam de eo solliciti simus,  
 an simus electi ex praeuisione Dei occulta, quam de eo, vt gra-  
 tia communi ac parata fideliter vtamur.

## §. XX.

Testimoniorum hoc satis esse poterit. Nihil ergo re-  
 stat, quam vt quaestiones aliquot huc pertinentes & ab opti-  
 mo quodam viro munere sacro magna cum fide ingentique  
 fructu fungente positas disceptemus, quod superioribus rite  
 praemonitis & facile & breuiter fieri poterit. Quaesitum  
 scilicet ex nobis est primo, an Deus fidelibus saltem inter-  
 dum praeuisae ipsorum perseverantiae finalis fidem facere  
 soleat ac fecerit? Deinde an DEVM illud cum pro se ipso,  
 tum etiam pro aliis, inprimis aut sanguine aut alio modo ar-  
 ctius ac familiarius coniunctis rogare liceat? Quod igitur ad  
 primam quaestionem atinet, sententia nostra huc redit.  
 1) Ex supra dictis luculenter constare arbitramur in Dei ver-  
 bo huiusmodi enuntiata non occurrere, ex quibus id liquido  
 satis ac certo adpareat, & confici possit, Deum fidelibus pro-  
 misisse



mississe se illos certiores redditurum de praeuisa illorum perseuerantia ad finem, nec etiam illos vsquam ad id, quod hoc in negotio de illis prospexerit, curiosius indagandum & exquirendum remitti atque impelli. 2) Sicuti ergo id probato ponimus, ita tamen ex eo sequi non videmus, Deum numquam plane in hoc vel illo casu singulari exceptionem aliquam facere posse, forteque etiam facere. Quod si enim hoc locum plane habere non posset ac proinde huiusmodi aut coniectura aut spes simpliciter tamquam falsa & inanis repudiari deberet, alterutrum esse oporteret, vel ut id Deo per summas illius ac necessarias virtutes plane non liceret, vel ut in verbo suo satis perspicue vel diferte vel per necessarias ac certas consecutiones pronunciauerit, se illud nemini simpliciter nec vmquam facturum esse. Neutrum vero, quantum quidem nos perspicimus, satis probari posse existimamus. Primo enim vix erit, qui adfirmare audeat, aut si audeat, satis probare possit, repugnare simpliciter virtutibus Dei huic vel illi praesignificare quid de illius perseuerantia ad finem praeiuderit. Deinde ex verbo Dei, id quidem, ut supra diximus, adparet, Deum tale quid liquido non esse pollicitum; quo posito porro consequitur temere tale quid captari non debere. Verum haec omnia nondum probant, Deum id plane facere nec velle nec posse per declarationes voluntatis suae. Licet enim illud se facturum liquido non promiserit, non tamen etiam simpliciter ac liquido negauit, se exceptione facta illud interdum huic vel illi praestitutum. Contra promissum enim facere Deo quidem per fidem illius ac sanctitatem plane non licet, at sine promisso aliquid, aut plusquam promissum est facere, quis ei licere ausit negare.

§. XXI.

**Ex eo quidem quod Deus in verbo suo sub conditione  
tantum**



tantum certam perseverantiae ad finem fidem credentibus fecit, nec eos de sua praeiudice sollicitos esse voluit, recte omnino videtur confici, plurimis credentium cognitionem certam praeiudice suae usque ad finem perseverantiae, ad diligentiam illorum acuendam non profuturam fuisse; illud tamen non sequitur, numquam posse accidere, ut in hoc vel illo singulari casu, atque in hoc vel illo homine res illa utilitatem aliquam habere, ac proinde eam ob causam a DEO etiam fieri queat. Simile quid in aliis causis locum habet, sic v. gr. Deus credentibus revelationes extraordinarias promiscue non promittit, sed nos ad verbum reuelatum, cognitionemque rerum, quae ratione ordinaria ac consueta comparatur, remisit, nosque iis contentos esse iussit. Ex quo recte sequitur, neminem revelationes extraordinarias temere suoque arbitratu captare debere; at valde erraret, qui ex eo conficere vellet, nullas plane hodie, nulla in re, dari, aut dari posse revelationes extraordinarias. Deus enim iuri suo tale quid faciendi nusquam certo renunciauit: quidquid enim ea de re per scriptum est, eo tantum pertinet, ut nos in officio contineamur, cupiditatesque facile hac in re euagantes moderemur, magnamque in re admodum delicata cautionem adhibeamus ne decipiamur, non vero eo ut rei veritas plane negari queat.

## §. XXII.

2) Si vero porro quaeratur, utrum exempla satis certa atque idonea adsint, quibus constet, Deum nonnullis interdum praeiudicem ipsorum perseverantiam singularibus de causis significasse, in argumento hoc disceptando *primo* quaeri potest, an in sacris litteris indubitata satis ac certa illius rei exempla occurrant, *deinde* an extra sacras litteras & hodie talia reperiantur? quod itaque ad primum attinet duplicis praesertim generis



generis exempla nobis iam circumspectantibus succurrunt, quae aliquo modo huc referenda esse videri possent. Primo scilicet exempla eorum, quibus tale quid a Deo aut praedictum aut iniunctum legimus, ex quo certo inferre potuisse videntur, Deum certam illorum vsque ad finem perseuerantiam praeuidisse. Tale enim exemplum nos legere non meminimus, quod Deus disertis cuiquam verbis hoc ipsum significauerit, aut quisquam sanctorum sibi significatum esse adfirmauerit, Deum suam ad finem perseuerantiam praeuidisse. Quo vero de sententia nostra eo melius constet, aliquot exempla in medium proferemus. Sic Eliae, certo & sine vlla conditione praedictum legimus, definito simul & tempore & loco, eum viuum in coelum modo plane extraordinario sublatum iri, ex quo conficere potuisse videtur Deum certam ipsius perseuerantiam praeuidisse. Pertinet etiam huc Danielis exemplum, cui de rebus futuris sollicito, tu abi, inquit Deus, vsque ad finem, & quiesces & stabis in sorte tua in fine dierum. His enim verbis Deus Danieli praedixit, eum bene post exitum ex hac vita quieturum, egregiamque in fine dierum portionem certo fortiturum, nulla conditione adiuncta; ex quo rursus concludere potuisse videtur, Deum suam perseuerantiam oportuisse certo praeuidisse. Simili ratione Dominus malefico misericordiam ipsius pro se imploranti, nulla conditione adiecta, *dico tibi*, inquit, *hodie mecum in paradiso eris*. Alterum exemplorum genus eos complectitur, qui ipsi adeo certam coronae gloriae adipiscendae fidem sibi adscribunt, vt perseuerantiam suam ex praesignificata ipsis praeuisione Dei exploratam habuisse videri cuiquam possent. Pauli exemplum rursus hic ante oculos versatur, qui certo confirmat, sibi que exploratum dicit Dominum se quam primum omnis malo

**E** libera-



liberaturum, in regnum introducturum, coronamque iam repositam illo die certo daturum. Ex quo videri posset exploratum habuisse, quid Deus de se praeuiderit. Vt raceamus Paulum in coelum tertium ac Paradisum raptum de sua aliquando in gloriosa illa ciuitate Dei forte multa cognouisse videri, prouti alibi fufius probauimus. \*)

## §. XXIII.

Verum enim vero licet haec aliquam verisimilitudinem habere videantur, res tamen plane explorata nondum esse videtur. Ex eo videlicet, quod DEVS & praedicendo laeta & iniungendo fecit, intimam sane & certam fiduciam boni exitus concipere debebant & poterant huiusmodi sancti, Deum fidem eorum adhuc probatam magni facere, atque ad eos plane perficiendos lubentissime omnia conferre vel; id quod ipsis sufficere poterat: ad suam tamen illos praeuisionem diserte non remittit, nec eos talia ex Deo audientes de illa laborasse, sed modo id egisse legimus, vt alacri animo se porro ad voluntatem Dei componerent. Vt raceamus in ipsis illis mandatis, huc vel illuc se conferendi, abeundi impletionemque promissorum expectandi, inclusum simul esse praeceptum, vt ipsi quoque ex sua parte officium suum praestare pergant, & hoc modo tranquillo animo sint ac maneant, id pro certo habentes, Deum fidem suam certissime liberaturum. Quod ad Pauli exemplum aliaque similia attinet, constat quidem ex iis, vt supra iam monuimus, viua spes ac certa fiducia vitae aeternae, quae quo propius ad metam peruentum erat, eo magis aucta & confirmata vigeat: nixam vero illam fuisse cognita praeuisione Dei nec dicitur nec sequitur; prouti nec ex eo confici potest, quod in  
Paradi-

\*) Conferantur hac de re PRAESIDIS Disputationes duae, de raptu & cruce Pauli.



Paradisum raptus legitur, forteque ibi sortem sibi paratam cognouit. Debit enim id sine dubio maxime ad incitandum Paulum valere, ut strenue itinere instituto pergeret tanto praemio proposito, quo certo adipisceretur, non vero eo, ut curiose inuestigaret, aut ut ei praesignificaretur, quid Deus de perseuerantia ad finem praeuiderit. Et si vel maxime concedere aut saltem pro verisimili ponere velimus, (id quod imprimis etiam de latrone conuerso dicendum videtur) eos de praeuisione Dei certiores fuisse redditos singulari Dei munere, ex eo tamen non sequitur, omnibus id contingere debere; cum tale quid, ut supra ostendimus certo & omnibus in vniuersum fidelibus promissum non sit, licet Deus libertate sua, id in hoc vel illo faciendi, se ideo non priauerit.

§. XXIII.

Sed sufficiant haec de exemplis sacris, restat igitur vt disquiramus, an hodie certa satis exempla eorum adsint, quibus praeuisa ipsorum a DEO perseuerantia significata sit. Licet itaque nobis noti non sint, qui quid Deus de ipsorum perseuerantia ad finem praeuiderit proxime innotuisse sibi adfirmauerint, innotuit tamen vnus & alter fide dignus auctor, qui adfirmavit, sibi in magna animi sollicitudine constituto multisque calamitatibus vndique presso, certissime, subito oriente rursus & eluctante gratiae lumine, persuasum esse, se certissime gloriam illam aeternam consecuturum. Accedunt exempla eorum qui praegustum aeternae gloriae plane singularem interdum adipiscuntur, imprimis si metae appropinquant, quibus ideo hoc ipso certa ipsorum perseuerantia confirmari videtur. Circa haec igitur exempla, sequentia obseruanda arbitramur. 1) Non omnes saltem huiusmodi etiam confirmationes plane sunt absolutae, vt



omnem conditionem excludant. Tribuit enim talia Deus interdum suis, vt conditionibus eo fidelius stent, atque eo alacriores sint in iis rebus vtendis & agendis quae ad reliquum cursum bene & strenue conficiendum pertinent. Quod dum fit, eo ipso tamen tacite significatur, praemia illa certa ipsis omnino esse, si & praegustu illo & adiumentis reliquis porro fideliter vti pergant. 2) Si nonnullis plus contingit, vel id fit fere, si prope a meta, ac proinde etiam a periculo abusus talis rei longius absunt, vel si saltem in tali conditione sunt, in qua per multas & continuas calamitates cum externas tum internas contra abusum huiusmodi rerum satis muniuntur, etiam si vitam adhuc longius producant.

## §. XXV.

His igitur praemunitis facilis iam est responsio ad quaestionem alteram supra expositam, vtrum scilicet liceat vel consultum sit Deum & pro se & pro aliis rogare, vt praeuisae perseverantiae vsque ad finem certam alicui fidem faciat? nos scilicet consultius putamus tali precatione abstinere. Tum enim in precando ruta ingredimur via, quando ad voluntatem Domini precamur. Voluntatem vero illius ex verbo oportet cognosci & iudicari, quid nobis tribuere constituerit, quidque proinde promissis illius nixi rogare debeamus. Cum igitur talis significatio praeuisae a Deo perseverantiae fidelibus satis liquido promissa non sit, satius est praecipui quid hac in re non postulare. Et si vel maxime ponere velimus, Deum nonnullis tale quid interdum tribuisse & adhuc tribuere, consultius tamen videtur vnice id Domino integrum relinquere, vtrum nobis idem facere velit nec ne: nos etenim minus certe, ipse vero optime ac certissime praenoscit, vtrum nobis id vtile futurum esset nec ne. Cum contra illa promissa certa atque vniuersalia sint, quibus  
Deus



Deus fidem suam interposuit, se bona gratiae semper aucturum cunctaque liberaliter ac libenter suppeditaturum, quae ad perseuerandum pertinent; illa teneamus, iisque sine intermissione cum ad flagitandum Deum id quod pollicitus est, tum ad fiduciam illius certe impetrandi utamur. Hac in re quoque certa sanctorum exempla ante oculos habemus, qui precibus suis id maxime egerunt, ut tribueretur & sibi & aliis necessaria facultas ac voluntas & tuendi statum suum & accessiones in dies nouas consequendi in bono. Sic v. gr. Paulus pro Ephesiis rogans non id efflagitat, ut Deus aut sibi: aut illis praeuisam illorum perseuerantiam significet, sed id populi flexo orat atque obsecrat, *ut det ipsis Deus pro diuitiis gloriae suae, ut virtute roborarentur per spiritum ipsius in internum hominem.* (c. III, 14. 19) Cuius argumenti reliquae quoque sanctorum preces sunt, quas cum pro se ipsis tum tum pro aliis ad Deum petulerunt. Quorum exempla si sequimur, ut par est, tutam tritamque tenemus viam. Si vero quis nihilominus tale quid tentare, Deumque aut pro se aut pro aliis rogare velit, quaeri potest, quid de tali consilio sentiendum sit; qua de re nos ita habendum esse putamus. 1) Si quis aut pro certo aut pro verisimili sumit, Deum nonnullis suorum praecipui quid interdum hac in re tribuere huiusmodi preces simpliciter damnare non audeamus; quemadmodum Paulus non omnem appetitionem & exhibitionem munerum extraordinariorum (spiritus, non simpliciter necessariorum, damnat. (1 Cor. XII. XIII. XIII.) Ferre etiam Deus clementer admodum multa solet in huiusmodi rebus in iis, qui bono ac fidei erga ipsum animo sunt, nec praecipui quid ideo cupiunt, ut sibi prae aliis illo placeant & se iactent. 2) Interim qui id facere instituit, modeste id faciat & cum ea conditione, ut non quid ipse consilio quam-



nis bono, sed quid Deus velit, fiat, cuius consilia, si a nostris discrepant; numquam non nostris infinitis partibus praestant. Quamobrem voluntati eius merito omnia permitti oportet. 3) Si id quod hoc modo rogat, quodque sane necessarium non est, non impetrat, bene faciet, si desistat id rogare, sibi que persuadeat tacendo idem sibi a Deo dici, quod olim Mosis; cui ut consilium de non calcanda terra promissa mutaretur, enixe obsecranti, Deus tandem, *sufficiat tibi*, inquit, *ne pergas amplius hac de re adhuc aliquid dicere*, vel ut Paulo saranae colaphos deprecanti; *sufficiat tibi gratia mea, virtus mea in infirmitate perficitur*: vel ut Barucho; *tu res magnas tibi postulas, ne quaeso postules*. (Ierem. XXXV, 5.)

## §. XXVI.

Accedimus iam ad ultimam ac tertiam disputationis nostrae hac de re partem in eo positam, ut doceamus; quam & qualem perseverantiae suae usque ad finem persuasionem credentes habere & consequi possint, quamque proinde etiam sequi debeant. Qua de re cum ex superioribus iam aliquo modo constare possit, brevioribus nobis iam esse licebit. Duo vero ad hoc argumentum plane expediendum facere instituimus. Primo persuasionis illius rationem & naturam summatim explicabimus, deinde vero docebimus, quam apprime illa ad statum fidelium in hac vita apta ac proinde optimo sapientissimoque Dei consilio ita constituta sit. Ut itaque ad primam huius argumenti partem explicandam accedamus, sententia nostra breviter exposita eo redit: Deum quidem credentibus non notum facere, quid de perseverantia illorum praeviderit, ut ex absolute certa & infallibili praevisione Dei ipsis de illa constet, cauisse tamen in verbo suo cauereque in dies, sua cum illis agendi ratione, illorum animi tranquillitati, bonae spei imo fiduciae satis & eo pacto,



pacto, dum omnia illa ex sua parte & liberaliter pollicetur, & re ipsa praestat, ex quibus ipsis certo constare potest, omnia semper ipsis praesto esse, per quae perseuerare non minus in fide possint, quam in principio ad illam perducipotuerunt; si modo sibi, officioque suo ipsi non desint; id vero quo minus in se admittant, vnice omnino per ipsos stare. Quo vero dilucidius appareat, quatenam illa sint, quae Deus & promittit & facit ad constantiam vsque ad finem seruandam pertinentia, quaeque certa planeque explorata habent credentes semperque habere possunt, non inutile est illa sub vnum quasi adspectum subiicere, & summatim tangere, cum plurima iam in superioribus quantum satis est explanata sint.

§. XXVII.

1) Itaque clarissimas & grauissimas promissiones habent credentes quibus ipsis facultas perseuerandi perspicue ac generatim confirmatur, qua de re cum in secunda disputationis vniuersae parte satis dictum sit, ea in praesenti reperere nihil attinet. Sicuti itaque verbum Dei, quoad in fide viuitur, praecipuum semper fundamentum constitutendae ex nostra parte fidei salutis praesentis statusque gratiae esse & manere debet, ita non minus promissa Dei id maxime efficiunt, vt etiam in futurum, de perseuerantia vsque ad finem ac proinde etiam de gloria aeterna consequenda certi esse possimus. 2) Certum habent & habere debent fideles, quidquid Deus in ipsis & tempore praeterito fecit & in praesenti facit, docendo, iuuando, curando ad futurum quoque pertinere, Deumque velle vt in posterum quoque idem ab ipso expectent. Quidquid enim Deus & olim fecit & adhuc facit, pignoris & arrhae loco est, quo fidelibus fidem suam obstringit, se in posterum idem praestiturum. Deum



Deum vero nec res nec fides vnquam deficit. Hinc igitur Pauli vocem, praeterita, praesentia & futura coniungentis, ac *Deus nos, iniquitatis, ab illa morte liberauit & quotidie ad huc liberat, & speramus de eo, in posterum quoque nos liberaturum*, ad omnia alia ad perseverandum necessaria transferre possunt, atque ex praeteritis ac praesentibus futura non hariolari sed certo conficere possunt. 3) Cerrum quoque habere possunt ac debent credentes, Deum cuius liberi per fidem facti sunt, eos nolle ideo deserere, abicere aut operam suam gratiamque iis subtrahere, ad progressum perseverantiamque vsque ad finem necessariam, quoniam variis adhuc naevis laborant, atque tum propter ignorantiam tum propter imbecillitatem tum propter imprudentiam interdum labuntur. Soler enim id animis de sua salute vere sollicitis sibi que nihil indulgentibus facile accidere; vt, cum naeuos suos infirmitatemque intuentur, aliquando timidiore siant ac facile de perseverantia sua cum aliqua abiectioe animi admodum lassante dubitare incipiant. Cogitare ergo eos & certum habere oportet, non ideo imminui erga ipsos gratiam Dei nec subtrahi illius operam, si modo quamprimum tale quid in se animaduertunt recte se gerant. Id quod se ipsi in posterum obseruant sibi que cauent, simul tamen etiam cum fiducia ad Deum confugiunt delictorumque veniam propter Christum ab eo petunt, quam certo etiam sperare animumque tranquillare debent. Qui enim etiam infirmitatis peccata non parui facit aut negligit, nec tamen etiam propter Christum aditu ad Deum se illis intercludi patitur, mediam rectamque viam tenet, in qua cum securitatem ac leuitatem, tum etiam desperationem atque animi abiectio-nem effugit. Sicuti enim homo in via poenitentiae ac fidei gratiam



gratiam Dei in Christo primo inuit, ita illam quoque inter perpetua riteque comparata poenitentiae ac fidei exercitia in vita hac tot miseris adhuc circumuenta certo retinet. Quam viam quoque Ioannes permanfionem apud Christum fidelibus tam grauiter inculcans demonstrat, ita scribens: (1 Ioh. I, 8. sq.) *quod si dicamus peccatum nos non habere, nos ipsos decipimus, & veritas non est in nobis. Si vero confitemur peccata nostra, fidus est & iustus, vt condonet nobis peccata & purificet nos ab omni iniustitia* — filii mei haec scribo vobis ne peccetis, & si quis peccauerit patronum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ille est expiatio pro peccatis nostris. Quia Deus iustus ac sanctus est, agnosci, doleri odio haberi, damnari vult a suis peccatum omne, minimamque a regula aberrationem; quoniam vero etiam fidus est placatusque per expiationem peccatorum a Christo factam, condonare etiam omnibus ita se gerentibus, & ad Christum se recipientibus. Quod si a fidelibus teneatur & exerceatur sedulo, magnum sane impedimentum firmae persuasione perseverantiae sublarum est.

§. XXVII.

4) Certum quoque habere possunt ac debent seruato-rem imprimis, qui eos redemit & in gratia apud patrem collocauit, indefesso studio pro ipsis primo apud patrem laborare, causamque illorum agere. Nec enim ille solum arbiter & internuncius fuit reconciliationis & pacis cum DEO constituendae, sed etiam illa constituta pacis onum perpetuum apud Deum agit, vtilitatibus illorum inferuentem idque curantem, vt fructus illius reconciliationis magis magisque percipiant. Ipse est & manet semper, qui pro ipsis deprecatur, ipse est, qui ipsorum preces & facta ad Deum perfert, illique grata reddit. Quae cum in coelo pro ipsis fiant, vt

F in



in gratia Dei permaneant, optimam spem ac fiduciam adferre debent fidelibus in terra, posse se in illa usque ad finem permanere. Hinc verbum Dei hunc Christi pro ipsis laborem in coelo ad confirmandos fideles saepius commemorat. Sic enim ad Romanos scribit: Paulus (c. VIII) *Christus ad dextram Dei sedet, ac se pro nobis interponit, quis itaque seiuget nos ab amore Dei &c.* & in epistola ad Ebraeos (c. VII, 24. 25.) *hic vero, inquit, propter manere ipsum in aeternum, non transiens habet sacerdotium, quapropter & seruare usquequaque potest accedentes per ipsum ad Deum semper quidem viuens ad deprecandum pro ipsis.* Alterum quod de seruatore plane exploratum habere debent & possunt in eo ponitur, quod non solum pro ipsis in coelo apud Deum laborat, sed quod etiam non minus in ipsis per spiritum omne id efficere & augere conatur, quod effici ac perfici in dies in ipsis debet, quo illo quod ipsis a patre impetrat frui, idque semper tueri queant. Tertium denique quod de Christo plane persuasum sibi habeant oportet, in eo consistit, quod fini, ipsi in omnibus quae pro iis fecit & pertulit proposito, ac proinde etiam honori dignitaeque illius conuenit, ut eos non solum ad salutem sed etiam ad gloriam perducatur. Sicuti enim ipsi non sufficit pro salute nostra mortuum esse, sed in vitam quoque rediit & in gloriam intrauit nostro bono, ita quoque iam ipsi non sufficit primitias quasi partae salutis & gloriae ipsis dare, quin potius in plenam messem illos inducere cupit, & tamquam membra corporis sui ea gloria adfici vult, qua ipse adfectus est. Sua ergo plane interesse iudicat, eos eo peruenire, quo ipse est. Hinc id parrem adeo enixe rogat (Ioh. XVII, 24) *pater volo, inquit, ut ubi ego sum, etiam illi apud me sint, quos mihi dedisti, ut gloriam meam videant, quam dedisti.*

§. XXVIII.



§. XXVIII.

5) Cum id inprimis credentibus anxiam sollicitudinem facile adferre soleat, quod multis adhuc & variis sollicitationibus ad mala & internis & externis sunt obnoxii, certum quoque & exploratum habent, Deum tamen pro sua fide nunquam suos pati ultra vires tentari, vt succumbere necesse sit, sed potius eum semper terminum ac modum statuere, vt perferre possint, ne opprimantur etiamsi premantur. Quae cum ita sint, ne cogitatio quidem & praesumptio quasi instantium adhuc certaminum animos illorum prostrernere aut ipe perseuerantiam dubiam reddere debet. 6) Denique certum habere debent fideles DEVM habitus bonos spirituales bonaque gratiae omnia nouis in dies accessionibus augere, si iis recte vtantur. Cum ergo hoc modo illud in iis, per quod perseueratur magis magisque augeatur, eo ipso defectionem difficiliorem fieri oportet. Qua de re iam pluribus parte secunda disputationis nostrae dictum est, cum de facultate perseuerantiae ad finem ageremus. Superest iam vt moueamus, duo adhuc circa id quod diximus probe notanda esse.

§. XXVIII.

Primum est, ea quae adhuc commemorauimus per se quidem plane certa esse, verbo quippe Dei nixa, fidem autem a credentibus habitam gradus habere, & gradibus etiam augeri debere. Diligenter ergo & assidue adiumentis alibi expositis vtendum; quod si fiat fides illarum rerum omnium spiritus sancti opera magis magisque confirmabitur, vt quo propius ad metam accedatur, eo certior quoque animus reddatur se illam assecuturum. Alterum quod adiungere consultum videretur, praecipuum aliquod necessarium est, ex iis quae de vera persuasionis perseuerantiae ratione diximus



consequens. Apparet scilicet ex omnibus quae in medium prolata sunt, fideles in cursu suo non tam cogitare debere anxie de eo quid facturi sint impostero quidque proinde Deus futura prospiciens de ipsis necessario iam praeviderit, quam potius de eo, ut primo in praesenti semper officium suum faciant, & si forte quid peccatum est, id quam primum innotuit corrigere studeant, deinde vero ratione futuri quotidie bonum propositum capiant, Dei que indulgentiam implorent, ac proinde de futuro quidem solliciti, nec tamen anxii sint, aut se crucient. Quoad haec diligenter agunt, non est, quod de perseverantia sua aut dubitent, aut metuant, fide quippe Dei eam innumeris promissis satis praestante; ut vero semper agant in ipsis positum est; nihil igitur restat, quam ut se ad agendum studio indefesso excitent.

## § XXX.

Quemadmodum igitur persuasum habemus ipsi, ac forte etiam aliis persuasimus, regiam hanc viam esse, atque in verbo Dei demonstratam ad necessariam talemque perseverantiae suae fidem perveniendi, quae viatoribus liquido promissa sit; ita non minus quoque illam tutissimam ac planissimam iudicamus fidelibus, quoad in his terris peregrinantur. Id quod ultimum paucis adhuc explanandum restat. Facile vero id ad probandum est, si modo statum & conditionem credentium, quoad in his terris vivunt rite cogitemus, simulque ante oculos habeamus contra quae malorum genera indeque orientis salutis discrimina eam ob causam muniri sint. In duplici scilicet maxime periculis generi adhuc versantur credentes pro conditione huius vitae variis miseriis adhuc circumventae, primo scilicet in periculo securitatis, elationis animi, negligentiae, leuitatisque, indeque orientis remissionis in contentione necessaria ac perpetua



petua, deinde in periculo taedii, abiectionis animi, intolerantiae ac desperationis boni euentus; ex quo pariter remissionem oriri necesse est; remissio vero semper cum animae detrimento coniuncta est, ex quocunque demum fonte proficiscatur. His notatis facile iam est ad intelligendum, eam perseuerantiae fidem quam exposuimus, huic illorum statui depulsionique horum malorum accommodatissimam esse. Malum enim securitatis, negligentiae ac leuitaris sine dubio longe melius cauetur, & necessaria contra atque ingenua sollicitudo augetur, si fidem perseuerantiae certam sub ea conditione habent, si scilicet & ipsi officio suo non deesse perrexerint. Sed de primo hoc nulla facile dubitatio erit, accedimus itaque ad alterum taedii scilicet, abiectionis animi desperationisque periculum, quod melius tum caueri viderur posse, si quid Deus de perseuerantia illorum perspexeri, certo exploratum haberent. Ad haec diluenda sequentia obseruamus 1) si hanc rem aliter contituisset Deus, prius negligentiae scilicet ac leuitaris malum ac periculum grauius futurum esset ac sine dubio multis fidelibus id accideret, vt illum salutem perfectonis in bono gradum non consequerentur, quem seruata maiori contentione consequuntur omnino. 2) Si Deus omnibus illis quos praeuiderit perseueraturos, illud etiam promiscue patefaceret, seque patefacturum promississet, eo ipso illis quoque omnibus, qui non perseuerabunt, certo patefactum esset, Deum infidelitatem illorum in exitu ac proinde etiam certam damnationem praeuiderisse; quae vero mala ac pericula, cum ratione horum ipsorum tum aliorum inde extrinsecenda sint, nemo non videri paullulum modo attendens, nos vnicum modo proferemus, reliqua lectoris cogitationi relinquentes. Nemo facile diceret, fideles eo ipso temporis puncto, quo certam fidem status gratiae consequuntur,



tur, certitudinem quoque praeuisae suae ad finem perseverantiae consequi. Quod si ergo sibi nihilominus persuadent, se hanc consequi ex voluntate Dei debere, per omne illud tempus, quo nondum sciunt, quid Deus de illorum exitu praeviderit, in anxio timore erunt, metuentes ne Deus incredulitatem finalem praeviderit, ipsisque Petro dicente (2 Ep. III.) melius futurum fuisset, si viam veritatis nunquam agnouissent & ingressi essent. 3) Tum demum iusta aliquo modo intolerantiae, taedii, ac desperationis causa videri posset, si aliquid a Deo praetermissum esset, quod ad certam perseverandi facultatem probandam atque extra omnem dubitationem ponendam pertinere; atqui satis abundeque hac in re omnia necessaria a Deo prouisa ac cauta esse, in prima disputatione liquido ostensum est. Plane ergo sufficere possunt fidelibus ad desperationem depellendam quae iis in verbo Dei suppetunt. Hac itaque via media quasi, quam tenere debent, res eo deducta est, ut negotium perseverantiae nec facilius nec difficilius sibi proponant, quam verbum Dei proponit, quorum utrumque, quoniam errore non caret, etiam periculo non caret, non secus atque in primo conversionis negotio. 4) Declaremus denique rem hanc simili aliquo ex vita communi petito, ut eo luculentius appareat, iustas fideles desperationis causas nequaquam habere. Ponamus patrem bonum, ac de salute liberorum sollicitum habere filium probum, obedientem ac proinde sibi singulariter carum multisque ideo paterni amoris beneficiis adfectum, iuuenem tamen adhuc variisque periculis & internis & externis adhuc obiectum, ponamus porro, patrem de muniendo tali filio in futurum quoque sollicitum dicere ipsi, *omnia porro in te faciam, si modo tu in officio manseris, poteris, vero in illo manere, si praecipis ac monitis meis ut adhuc fecisti parueris, imprimis si cogit aue-*



gitaueris etiam exempla fratrum natu maiorum, qui idem facientes salui pericula euaserunt; non videre possumus talem filium iustas desperationis cruciantisque sollicitudinis causas habere, quo minus bono laetoque animo esse possit, quoniam pater ipsi non praedicere potest aut vult, quid de obedientia ipsius futura praeuiderit nec ne. Cur ergo filii Dei habent, quorum pater coelestis patribus in terra natura tamen praeuis, fide, cura, potentia ac liberalitate infinitis partibus praestat. Sed finem iam facimus, totam orationem tandem nostram voto apostoli concludentes, ut ipse Deus pacis omnes vere credentes sanctificet integros, & totus illorum spiritus, & anima, & corpus inculpate, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Fidelis est vocans illos, qui & faciet.

---

NOBILISSIMO ORNATISSIMOQUE  
RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

*T*ribus maxime rebus continetur, quod doctores bonae notae auditoribus, discessum parantibus debere existimo: primo scilicet, ut illos testimonio ea fide quam Deo, religioni suae, atque ecclesiae debent, adsciant, deinde monitis boni praeceptisque, ac denique votis sinceris prosequantur. Triplici igitur hoc officio, tibi quoque ornatissime SIEVERT a me debito, in praesenti breuiter fungar. Primo itaque per triennium studiis sacris in Fridericiana ita operatus es, ut & mihi & aliis quos audisti ingenium, industriam, factosque processus satis probaueris, simulque etiam istud ut par est egeris, ut haec omnia vitae morumque integritate ornares, quo-  
rum



rum turpitudine alioquin omnem ingenii doctrinaeque commendationem euertere solet. Quibus omnibus in te conspicuis illud merito effectum est, ut mihi aliisque, qui te propius inspexerunt, singulariter carus fueris, bonamque de te spem in posterum quoque feceris. Hic ipse vero amor tui debitus, bonaque de te concepta spes alterum istud, quod supra exposui, efflagitant; ut scilicet te academiam proxime relicturum, monitis praeceptisque bonis ex amicissimo animo profectis prosequar. Primo itaque istud velim tui quam maxime commendatum habeas, ut spiritum sapientiae ac veritatis tamquam optimum Theologiae doctorem perpetuumque vitae magistrum ac rectorem adsumas, teque ita in disciplinam illius tradas, ut muneribus suis sanctificantibus maxime, sine quibus verus Deoque probatus ministrantium usus locum habere nequit, largissime te instruere possit. Ita enim praeparatus ac diuinitus excultus, utilem ecclesiae operam praestabis teque ipsum ut apostolus ait, seruabis aliosque qui te audient. Deinde quod ad studiorum culturam attinet, studium scilicet litterarum tui praecipue commendatum habe, maxime quippe necessarium tuique et aliis praecipue profuturum. Denique omnem non solum ambitum, sed etiam speciem illius fuge. Nec enim est, quod ministerii candidati Deo vere addicti, fideles, necessariisque doctrinis instructi vereantur, ne aut a Deo aut ab hominibus obliuioni dati situ quasi corrumpantur. Obluiscuntibus Deum ac contemptibus illud modo et quidem merito accidit, ut et ipsi contemnantur; honorem vero debitum sibi habentibus DEVS quoque honorem habet, eorumque opera vitur. Restat tertium ut breuiter quoque significem, quae sit summa votorum meorum, quibus te persequi officii mei esse duco. Deum scilicet immortalem supplex veneror, ut tui semper praesens ac propitius sit, muneribus spiritus sui te largissime instruat, omnes conatus tuos ad amplificandam gloriam suam aliorumque salutem conuertat, coepitque denique tuis nunquam non benigne adspiret. D. in Fridericiana X. Cal. April.

clō 10ccLIII.





## AESTVMATISSIMO RESPONDENTI

S. D.

GOTTLIEB ANASTASIVS FREYLINGHAUSEN

FACULT. THEOL. IN REGIA FRIDER. ADIVNCTVS.

Consilium quod cepisti, VIR IUVENIS PRAENOBILISSIME, non sine publico virium periculo ex Academia nostra discendendi, sicut improbare non potui: sic cum oppugnationis humanissime mihi prouinciam deferres, honestae petitioni TVAE, quae TVI in me animi index esset, aduersari non debui. Et ea quidem quae pro laudando academicarum disputationum instituto afferri possent, tam prompta ac pronocata sunt, & adeo locupletissimorum auctorum scriptis dictisque celebrata, ut in ea re verbis ornanda omnis consumenta videatur nouitas, ineptique cuiusdam foret & otio abutentis in hoc genere longum esse. Itaque missis nunc illis, causas tantummodo, TVA pace, paucis TECUM communicabo, quae effectuerunt, ne impostas mihi partes, vel recusarem omnino, vel grauare reciperem. Primum ipsa argumenti quod disputas praestantia, ac dignitas facile me mouit, cum intelligerem usque essem edoctus, non sine fructu ac cognitionis profectu ex huius generis disceptationibus facile discendi, praesertim si moderator iis praestet doctrina vsuque excellens, qualem TIBI mihiue gratulor. Fecit deinde huius ipsius VIRI SYMME VENERANDI, PRAESIDIS GRAVISSIMI proluxa in me voluntas, cum aliis rebus persaepe multis declarata, tum hac ipsa contradicentis sparta, & beneuole aliquoties suscipienda aduersum me, & amice fungenda, ut oportunitatem complecti debeam, qua possim si non leuari aliqua aeris alieni parte, at certe quam impense id cupiam significare. De TE autem RESPONDENS ORNATISSIME quid dicam, qui multae causae sunt, quam ob rem a me plurimi fias, eoque mihi loco ac numero sis, ut iucundum sit, si qua res incidat, quam prompte TIBI gratificando, possim quo in TE animo sim, testatum facere. Laudibus equidem nunc non ingrediar TE cumulare meis, ne vel modestiae TVAE insidiari aut diffidere videar, vel periclitari, ne in me enemat, quod scire alicubi & prudenter vetus poeta graecus cecinit Euripides:

Διούμενοι — οἱ ἀγαθοί, τέτόν τινα

Μισοῦσι τοὺς ἀιούντας, ἐν ἀνδρ' ἀγαθῶν.

Itaque praecidam his, si tribus antea verbis, cum cetera TIBI indulgentiae diuiniae munera, in quibus ingenii ad litterarum studia nati prae-

G

claram



claram indolem haud ultimo loco ponendam duco, tum praesertim stadium academicum rite ac feliciter confectum gratulatus fuero, diligentiam item in utenda proficiendi opportunitate, quam a TE in solempni conspectu declaratum omnibusque approbatum iri, vel ex nuper a TE edito TVI specimine cum doctissimum cinem TVVM in eadem palaestra ad ortus pulcre steteris, confido. Maeste sis decoribus istis DILECTISSIME SIEVERT, & quod caput est ad bene beateque viuendum, Deo O. M. cui TE atque omnia TVA debes, totum TE dica & consecra, eamque quae Christo vitae ac salutis nostrae reparatori devota sit vitam, vere vitalem existima, & cum immortalitate continentem. In patriam Deo duce re-dux factus, (iam enim illa TE, quem per duo propemodum lustra nobis credidit, iure suo & tamquam elata voce reuocat), officiosam meis ver- bis salutem PARENTI TVO MAXIME REVERENDO nuncios, amicamque veterem meam PRAECELLENTISSIMUM PROF. MAVRITII etiam at- que etiam a me saluere iubeas rogo. Vale. Dab. d. XIII. Cal. April. MDCCLIII.

VIRO PRAENOBILISSIMO  
DEFENSORI DOCTISSIMO  
AMICO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

FRIDERICVS MAXIMILIANVS MAVRITII OPPON.

**H**onorifica mihi admodum est voluntas TVA, AMICISSIME DEFEN-  
SOR, qua in certamine erudito abs TE propediem instituyendo, oppu-  
gnatoris partes mihi demandare voluisti: quas igitur eo libentius sus-  
cipio, cum multis praeterea nominibus TIBI hoc officium debeam. Multa enim sunt, quae TIBI me deuinciunt, quaeque singula iam sufficerent ad animos arctius iungendos, coniuncta autem fortissimum efficiunt a-  
moris vinculum. Communis patriae, eadem studia, patronorum & a-  
micorum societas, TVA TVORVMQUE officia in me profecta, tantam iam attulerunt animorum coniunctionem, ut in eam abierit familiaritatem, qua nihil potest esse coniunctius. Sunt autem adhuc alia maiora, quae non solum amorem, sed observantiam quoque erga TE plane singularem mihi imperarunt. Ex quo enim propius & familiarius mihi innotui-  
sti, animaduerti non sine insigni mentis meae laetitia aeque ac admira-  
tione, latius patere litterarum campum, quem emensus es, quam qui a multis aliis percurri solet; neque tamen TE illum disciplinarum am-  
bitum,



bitum, ita quasi peruolasse, ut aut nullibi diutius consisteris, aut sine meta certa propofita modo huc modo illuc cucurreris; sed potius & studio TVO principi, & soliditati in eo tractando provide admodum prospexisse. Quae omnia cum magna omnino sint, eo tamen efficiuntur maiora, quod cum hac ingenii cultura virtutis studium morumque integritatem coniunxisti. Cuius rei cum praeceptores TVOS amplissimos testes habeas, imo IPSE defensione dissertationis grauissimum argumentum complexae mox suscinenda, documentum editurus sis admodum luculentum: hac laudum TVARVM narratione supersedere potuissim, nisi uoluissim ab omnibus intelligi non ex consuetudinis ratione profectam esse gratulationem meam, sed causis niti grauissimis. Quilibet enim perspiciet habere me, quae gratuler & TIBI & mihi multa & magna; TIBI quidem eruditionem eximiam, eiusque specimen quod ante aliquot hebdomadas, cum aduersus me signa ferres, iam edidisti, mox iterandum publice cunctisque approbandum; una cum reliquis & ingenii & animi dotibus diuinitus concessis: mihi uero, quod in has regiones delatus TE inuenerim amicum talem, qui consuetudinis suae suauitate incunda aeque ac fructuosa effecit, ut desiderium amicorum in patria relictorum facilius tulerim. Ex his potes existimare, quanto reditus TVVS in patriam, quo a latere meo diuelleris, me adficiat dolore, quem uix sustineo, atque aegrius adhuc ferrem, nisi meus in TE & patriam amor id postulareret, ut mea commoda TVIS & patriae rationibus postponerem, quae requirunt, ut litteris onustus & necessarius TVIS & ciuibus patriae praesens fructus seras uberimos. Proficiscere igitur ad TVOS, AMICE SVAVISSIME, feliciter bonisque auspiciis, & in patriam redux PARENTI TVO MAXIME REVERENDO, cuius plurima in me exstant beneficia, gratum animum obseruantiamque debitam, VIRIS SVMME VENERANDIS BVCKLIN & D. STEIN ecclesiae patriae sulcris, meisque PATRONIS aeternum colendis pietatem & uenerationem, SVMME REVERENDO SVPERINTENDENTI WALZ, & PLVRIMVM REVERENDIS PASTORIBVS FOERDERER VTRIQUE & SANDER, FAVORIENS de me optime meritis, reuerentiam & officiosissimam uoluntatem meo nomine testare; fratres autem meos carissimos reliquosque cognatos & amicos saluta meis uerbis amicissime. Vale & rem TVAM semper age rectissime; me uero in posterum quoque, si meruero, non dilige sed ama. D. Halae Magdeburg, d. XXII. Mart. MDCCCLIII.

VIRO



VIRO PRAENOBILISSIMO  
DEFENSORI DIGNISSIMO  
AMICO EXOPTATISSIMO

S. P. D.

IOANNES IACOBVS MEYER

Bugginga-Badenfis Theol. C. Oppon.

*Si quid umquam mihi exoptati accidit, sane id est quod hodierno die mihi contingit, quum ei amicorum meorum amorem ardentissimum declarare publice possim, quocum dimidiam fere vitam meam quam coniunctissime vixi. Quod si iam illis amicorum nostrorum multa debeamus, quibuscum tantummodo unum alterumve annum amicitiam aliquam arctiorem aluimus, quantum tibi debebo, cuius iam fere per duo lustra integra conuersatione fruius sum incundissima? Quare hanc occasionem publicam vehementer ac impense mihi gratulor, quae potestas mihi datur tibi significandi, quam honorifice de eruditione tua eximia, de ingenio felici, excellenti, atque ad scientias sublimiores praeclare nato, de amabili ac incunda conuersatione tua, denique de iis omnibus quae ab amore tuo per tantam iam annorum seriem in me profecta sunt, sentiam; Et quam sincere tibi mox cathedram adscensuro honorem illum praeclarum stadiumque academicum laudabiliter finitum gratuler, Et conatibus tuis vere felicibus sollempniter applaudam. Neque minus gratulandum esse duco parenti tuo maxime reverendo, quem non sine summo venerationis Et grati animi sensu nomino, filium bonis litteris ac scientiis ornatissimum Et cumulativissime refertum. tibi vero, amicissime defensor pro honore illo plurimi faciendo, quo me auxisti, quum me ad pugnam disputatoriam inuitasti, maximas gratias ago, simulque polliceor me hoc amoris in me tui documentum publicum nunquam esse obliuioni daturum. Quod restat velim tibi persuadeas, me continuaturum esse nunquam non eundem in te amorem ac amicitiam, nihilque magis me a te expetiturum, quam ut eodem animo etiam in me esse pergat.*  
*Vale Et res tuas omnes ex voto age feliciter. Dedi Halae ad Salam in Academia Fridericiana d. XXII. Marti.*

MDCCLIII.





94 A 7362

ULB Halle 3  
001 840 606




96.











DISSERTATIO THEOLOGICA  
TERTIA  
DE  
**PERSEVERANTIA  
CREDENTIVM  
VSQVE AD FINEM.**

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO  
AC DOCTISSIMO  
**IOANNE GEORGIO KNAPP**

THEOL. D. ET PROF. ORDIN. CELEBERRIMO ORD. THEOL.  
H. T. DECANO SPECTATISSIMO

FAVTORE AC PRAECEPTORE  
SVMMA PIETATE AETERNVM PROSEQVENDO

D. APRIL. CIOIOCCLIII.  
IN REGIA FRIDERICIANA

H. L. Q. C.

PVBlice DEFENDET

**CAROLVS WILHELMVS SIEVERT**  
AVGGA - BADENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

